(P) DUETTEL 61370/P 85527

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,

SISTENS

MELANCHOLIAM HYPOCHONDRIACAM,

QVAM

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,

PRÆNOBILI, CONSVLTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO VIRO,

DN. D. HERMAN. PAVLO JVCH,

SACRI PALATII CAESAREI COMITE, FACVLTATIS MEDICAE SENIORE, PATHOL. ATQVE PRAX. PROF. PVBL. ET ASSESSORE PRIMARIO, SERENISS. SAX. DVC. VINARIENSIS, ISENACENSIS ET GOTHANI CONSIL. AVLICO ET ARCHIATRO, N. N. ACAD. CÆSAR. NAT. CVRIOS. COLLEGA,

AMPLISSIMO MEDICORVM ORDINE IN PER-ANTIQVA HIERANA GRATIOSE INDVLGENTE,

PRÆSIDE

DN. D. JOANNE IVONE STAHLIO,

EMINENT. ELECT. MOGVNT. CONSIL. ET ARCHIAT. FAC. MED. ASSESS. ORD. ANATOM. CHIRVRG. ET BOTAN. PROFESS. PVBL. ORDIN. NEC NON CIVITATIS CONSVLE,

PATRONO AC PROMOTORE SVO COLENDISSIMO,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI PRIVILEGIIS ATQVE IMMVNITATIBVS RITE AC SOLENNITER ADIPISCENDIS,

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT,

AVCTOR ET RESPONDENS

ALEXAND. GEORG. LEONHARDVS Düttel/ Nördlingenſis.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS. *DIE XXVI. APRILIS, M DCC XXXVII.*

ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad. Typogr.

INCLYTÆ
S. R. I. CIVITATIS ET REIPVBLICÆ
NEROLINGENSIS
PATRIBVS CONSCRIPTIS,
VIRIS
MAGNIFICIS, GENEROSO ET PRÆNOBILI, EXCELLENTISSIMO, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS ET CONSVLTISSIMIS
DOMINIS
CONSVLIBVS,
CONSILIARIO
ET
SENATORIBVS,
DOMINIS ET PATRONIS,
OMNI OBSERVANTIÆ CVLTV
PROSEQVENDIS
DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM
SACRAM ESSE VULT
AVCTOR

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

DISSERTATIONIS INAVGVRALIS MEDICÆ
DE
MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA,
PROŒMIUM.

TRiſtem eſſe ubique rerum in hoc mundo faciem, triſtiſſimam autem *Hominis* conditionem, quotidiana abunde docet experientia: Licet enim, cum facultatum viriumque integritas ante lapſum adhuc citra qualemcunque nævum, aut vitioſam cupidinem, ſe ſe exſereret, ſumma animi ſvavitas, exquiſitiſſima cogitationum omnium harmonia, perfectiſſima corporis pulchritudo & ſtupenda dominandi

 maje-

majeſtas & gloria undique apparuerint, vix tamen leviſſima horum omnium nunc adhuc ſupereſſe deprehendimus rudera, frequentiſſimam nobis occaſionem ſuggerentia, non tam amiſſa hæc bona admirandi, quam potius graviſſime vices noſtras dolendi & priſtinam feliciſſimam generis humani conditionem triſti ſemper memoria recolendi. Non lubet jam adducere innumerum illum *morborum* numerum, omnes & ſingulas *corporis* partes miris, & quotidiè ferè novis modis excruciantium, & modo ab externis, quibus continuò expoſiti ſumus, injuriis & viciſſitudinibus, modò ab internis tacitè inductis variarum partium læſionibus, originem ſuam capientium; ſed paucis ſaltem illarum mentionem injicere licebit miſeriarum, quibus tunc obrutum deprehendimus hominem, quando pars ipſius nobiliſſima, *Anima immortalis*, ob arctiſſimum ſuum cum corpore nexum, ſimul affligitur, ejusque principalis functio, *ſana* nimirum *ratio*, turbatur, confunditur, imò penitus quaſi ſupprimitur. Sanè, nunquam magis humanitatem exuit homo, vel ad bruta animantia accedit propius, imò &

infra horum ſortem poſitus eſſe videtur, quam ubi rationis uſu & legitima mentis operatione deſtituitur, ita ut hæc, quæ arbitra ante erat bonorum & malorum, nunc omnia vel in malum vertat, licet optima fuerint, vel contra ea agat; doleat prius, quam neceſſe eſt, antecedat malum ſuum, ſibique ipſi infirmitate quadam metum fingat, ubi nullus eſt, & inſuperabili intemperantia in perpetuam ruat triſtitiam, nec ſpe metum temperet, ſed vitium vitio cumulet, qui ſanè omnium miſerrimus eſt ſtatus. Inde liquet, quanta, quamque inſignis humanæ felicitatis pars ſit, ſi mens exiſtat ſana in corpore ſano, & quam infelix ê contrario illorum ſit conditio, qui pretioſiſſimum ac incomparabilem iſtum theſaurum amiſerunt, hominesque eſſe deſierunt.

Deprehendimus hoc inprimis in MELANCHOLIA, quæ inter mentis pathemata haud infimum ſibi vendicat locum, inprimis ſi in ſubjectis etiam corpore ſano deſtitutis, atque in ſpecie graviſſimis *hypochondriacis* inſultibus obnoxiis, ſedem ſuam figit. Tunc ſanè ex moleſtiſſimorum admodumque rebellium horum

morborum felici profligatione colligere licet, quantum Medicus aut ingenio, aut arte valeat, & quam miſeri vice verſâ illi ſint ægri, qui ſortiuntur Medicos cum ipſis de ſtultitiâ certantes omnique morbi notitiâ prorſus deſtitutos, ubi cui prius ſuppetiæ ſint ferendæ, quique potiori indigeat auxilio difficillimè determinari poteſt.

Cum ergo HIPPOCRATES non immeritò illos quam maximè extollendos eſſe Medicos judicet, qui in auferendis animæ functionum morbis alios dexteritate, prudentiâ & felicitate peculiari antecellunt; hinc placuit mihi in præſentiarum, ſpeciminis inauguralis loco, ſat gravem atque communem quendam ejusmodi affectum, MELANCHOLIAM nempe HYPOCHONDRIACAM, paulò exactius, pro virium modulo, inveſtigare, quave ratione eidem occurrendum ſit paucis monſtrare.

Deus autem immortalis ſub conſideratione tanti mentis lapſus noſtram dirigat mentem atque ita gubernet, ut omnia in ſanctiſſimi Nominis ſui gloriam proximique afflicti cedant ſolatium.

§. I.

§. I.

NE illotis, ut ajunt, manibus, affectus noſtri tractationem aggrediamur, brevibus, ſub ejus ſtatim ingreſſu, quædam ratione variæ vocabulorum acceptionis præmittere Jubet. *Melancholiæ* ergò denominationem â Græcis deſumtam eſſe, primo fere intuitu patet, dicitur enim ἀπὸ τῆς μελαίνης χολῆς, ab *atra bile*, ſicque in ſcholis veterum inprimis Medicorum, modò morbum, modò certum quendam humorem deſignat. Plurimi equidem illorum non niſi morbum peculiarem hoc vocabulo denotarunt; Recentiorum verò complures, inprimis Barbari & Arabum ſectatores, ſub eodem etiam humorem modò dictum, atram nempe bilem, intellexerunt, quam alias duobus diſtinctis vocabulis μελαγχολικὸν χυμὸν, μέλανα χυμὸν, & μέλαιναν χολὴν appellarunt, & principaliorem ſeu materialem ipſius morbi cauſam eſſe autumarunt.

§. II.

Dum vero heic loci cum antiquiorum plurimis *Melancholiam* pro morbo ſumimus, huncque modò ſimpliciter & idiopathicè, ex ſolius cerebri culpa, modo etiam per conſenſum & ſympathicè, vitio nempe graviori tum viſcerum in hypochondriis ſitorum, tum etiam totius maſſæ ſanguineæ, oriri deprehendimus; hinc prior ejusdem ſpecies κατ' ἐξοχὴν *Melancholia*, poſterior verò, quam & in præſentiarum conſiderandam nobis ſumſimus, melioris diſtinctionis gratia ſimul *hypochondriaca* vocatur, & quidem μετὰ προσθήκης, quoniam nempe primarius & eandem ordinariè antecedens affectus ὑπὸ τῶν χόνδρων *ſub cartilaginibus coſtarum ſpuriarum* ſedem ſuam habet.

§. III.

§. III.

Licet interim *Melancholiæ* vocabulum olim ſæpiſſimè in latiori ſenſu ſumtum fuerit, ſicque indiſcretim quodlibet delirium denotaverit, nullâ neque timoris, neque triſtitiæ ratione habitâ, quemadmodum ſic HIPPOCRATEM illud promiſcuè etiam de *Mania* uſurpaſſe teſtantur HOLLERIVS *Comment in Sect. III. Aphor*. *53.* ALTOMARVS *de medic. human. corp. cap. 8.* & FORESTVS *Lib. X. Obſerv. 20.* indeque factum eſſe autumat *Proſper* ALPINVS *meth. med. Lib. X. cap. 11.* quod multi celebres Medici, ut ARETÆVS, AVRELIANVS, PAVLVS, aliique plures, unam ſpeciem ſub alterâ comprehenderint, ſicque uno eodemque capite de ambabus egerint; hodie tamen in ſtrictiori ſaltem ſenſu accipitur, & Maniæ, ſeu furori, audaciam ordinariè pro comite habenti, contradiſtinguitur, unde etiam noſtrum affectum, eodem modo ſumtum, definimus, quod ſit *delirium ſine febre & furore, cum timore inprimis & mœrore conjunctum, dependens â vitio phantaſiæ ſpirituumque obnubilatione, graviorem ordinariè viſcerum in hypochondriis ſitorum obſtructionem, totiusque M. S. inſpiſſationem fundamenti loco agnoſcente.*

§. IV.

Ex hac definitione facile nunc conſtabit, qua ratione non ſolum â Mania, ſed & ab aliis deliriis ſymptomaticis, phreniticis nimirum, furore uterino, Erotomania perſonali, &c. præſens hoc, quod noſtri affectus formalitatem conſtituit, ſe ſe diſtinguat, defectu nempe febris nimiumque furioſarum actionum, & majori diſpoſitione vel ad triſtitiam, vel animi circa erroneas

ſuas

ſuas ideas tranquillitatem, adeoque non opus erit, ut fuſius iſta differentiarum momenta, ſatis jam jam clara, adducamus, quemadmodum etiam Melancholiam ipſam in ſe ſpectatam, modò *idiopathicam*, modò *ſymptomaticam* eſſe, §. anteced. monſtravimus. Quoniam verò Melancholici ipſi, ratione ſingularium evidentiorum actionum, uni præ altero ex imaginationis depravatione magis ſolennium, mirum quantum variant, ita ut ne per ſomnum quidem ſano cuidam tam ineptum tamque abſurdum quicquam obtingere poſſit, quod non etiam Melancholicus falſò ſibi perſuadere obſervetur, & verum eſſe ut pertinaciſſimè, ita ſtolidiſſimè credat; hinc conatus eſt HERCULES SAXONIA illos in certas diſpeſcere claſſes, harumque conſtituit quinque ſequenti modo inter ſe diſtinctas.

§. V.

Prima comprehendit melancholicos ſine timore & triſtitiâ, ſimplici ſaltem phantaſiæ vitio laborantes, citra plenariam judicii obnubilationem, quales ſunt illi, qui futura ſine omni ſtudio vaticinantur, carmina pangunt, Poetasque, Vates aut Sibyllas ſe eſſe aliis perſvadere conantur. Altera claſſis continet melancholicos in mœrore excedentes, citra tamen ullum timoris indicium, ut ſunt perditè amantes, aut veſano amore flagrantes. In tertiam collocat illos, quorum imaginatio depravata, ſepoſito mœrore ac timore, unicè circa ambitionem verſatur, ut hinc Imperatores, Reges aut Principes ſe eſſe, atque omnium venerationem amoremque ſibi competere, ſuoque imperio eosdem ſubjectos eſſe, autument. Quartæ aſſignat eos, quorum

phantaſia eſt corrupta cum exceſſu in triſtitiâ & defectu timoris, quale quid in iis obſervare licet, qui ſe mortuos eſſe credunt, nihilque propterea deterius formidare ſolent. Quintam denique claſſem illi conſtituunt, qui, citra notabile aliquod phantaſiæ vitium, mœrori ac triſtitiæ nimium indulgent, continuoque metu absque evidenti cauſa anguntur, & idcircò conſortium aliorum hominum, imò amicorum ſummè familiarium, fugiunt, ſolitudinem non niſi in locis diſſitis, obſcuris & clauſis quærentes. Cui verò placet Melancholiam hanc ad mentem aliorum in *jucundam, triſtem* & *mixtam* diſpeſcere, ſimulque ad temperamentorum diverſitatem, utpote in quâ inprimis tales modò allegatæ differentiæ fundatæ deprehenduntur, in ægris attendere, commodè omnes in quinque his claſſibus recenſitas ſpecies quoque ad tria iſta genera referre poterit.

§. VI.

His ita ratione differentiæ prælibatis, ſpecialius atque exactius penſitanda erit affectus noſtri indoles & natura, & quidem quoad *ſigna* atque ſymptomata eundem plerumque comitantia. Ex his *communia* ordinariè vocamus triſtitiam metumque, absque ſufficienti & manifeſtâ cauſâ occurrentes & diutius continuantes, juxta HIPPOCRATIS *Aphor. 23. Sect. VI.* citra tamen qualecunque febris indicium; item corporis totius, maximè autem oculorum & pilorum colorem fuſcum, ſeu ſubnigrum, habitum illius ſiccum & macilentum, aſpectum triſtem, cum capite utplurimum in terram demiſſo, & inſolitâ taciturnitate, imo & cogitationum tur-

turbatione conjunctum, unde ſæpe fixis & immotis in unum locum oculis ſtupidi velut conſiſtunt, & de cauſa ejus quæſiti nullam prorſus enunciare poſſunt, parum vel nihil dormiunt, aut ſæpius ſub ſomno tumultuoſè excitantur, inſuperque admodum puſillanimes & deſperabundi in divitiis, fortunis ac honoribus conſequendis deprehenduntur.

§. VII.

Propria dein *ſigna* ipſum delirium melancholicum exhibet, ſub cujus initiis plerumque ſolitudinis amor & taciturnitas increbeſcunt, ſimulque variæ ſubinde admodum inordinatæ cum querimoniâ proferuntur ſermocinationes, intercurrentibus frequentiſſimis ac profundiſſimis ſuſpiriis, inprimis de inſidiis clam ſibi paratis, de philtris vel venenis ſibi propinatis aut adhuc propinandis, unde nemini prorſus fidem adhibent, mortem ſibi optant, variis inſomniis terrificis & tragicis anguntur, ſpectris ſe excruciari perhibent, alimentorum quoque ac potulentorum uſum interdum protinus averſantur, vitamque ſub continuo mœrore agunt, & licet aliquando ridere & gaudere videantur, minimè tamen inde mens exhilaratur, quin potius poſtmodum delirium ipſum magis adhuc augetur omniaque in deterius ruere videntur.

§. VIII.

Tandem conjunctum hypochondriacum ſtatum ordinaria mali hujus ſymptomata atque indicia, tum prægreſſa, tum adhuc concomitantia, produnt, videlicet anxietates præcordiales, dolores ſpaſtici, anguſtatorii & æſtuantes circa hypochondria, inprimis ſiniſtrum,

 ſtrum,

ſtrum, cordis palpitationes, cum anxiâ & difficili reſpiratione, alvi ſiccitas aut pertinax adſtrictio, lienis inflatio & intumeſcentia, ructus frequentes acidi & nidoroſi, pluresque aliæ malorum Iliades, ab autoribus recenſitæ, ut atroces & periodici hinc & inde oborientes dolores, ſcotomiæ, vertigines, cogitationum æſtus, imaginariæ morborum ſuſpiciones, animi deliquia, nauſea, vomitus, ventriculi dolores, aurium tinnitus, partium extremarum ſtupores aut moleſtæ formicationis ſenſus, ſputationes frequentes, jejuno inprimis ventriculo, quæ tamen omnia, unanimi Practicorum conſenſu, non in omnibus ſemper occurrunt hypochondriacis, ſed pro diverſitate partis unius præ alterâ magis affectæ, alia communiter aliis prævalere ſolent. Urina autem in omnibus, ſi inprimis inveteratum fuerit hoc malum, cruda, omni colore deſtituta & aquæ inſtar pellucida apparet, prout hoc optimè notat SYDENHAMIUS *in Diſſert. epiſtol. ad Guil.* COLE, his verbis: *Ægri urinam ſubinde reddunt planè limpidam, ad inſtar aquæ ê rupibus ſcaturientis, idque ſatis copioſè, quod quidem ego ſigillatim percontando in omnibus ferè didici ſignum eſſe pathognomonicum eorum affectuum, quos in maribus* hypochondriacos, *in fœminis* hyſtericos *appellandos cenſemus. Atque in maſculis nonnunquam obſervavi, quod mox ab excreto lotio coloris citrini (imò proximo ferè temporis momento,) violentiori aliquo animi motu derepentè perculſi, ſtatim urinam cryſtallum claritate æmulantem, magnâ copiâ & impetu diu continuato ejecerint, eò usque ſe male habentes, donec urina priſtinum colorem induerit & paroxyſmus ſimul evanuerit.*

§. IX.

§. IX.

Ex his ergò, quæ quoad hiſtoriam hujus affectus adducta ſunt, facilè nunc apparet, quod *ſubjectum* Melancholiæ in ſe ſpectatæ conſtituat *Cerebrum*, partim ſecundum ſuam ſubſtantiam, partim ſecundum ſpiritus ibidem ſecernendos & in nervos transmittendos, â ſanguine viſcido, craſſiori, terreſtri & ſpiſſo perquam difficulter ibidem tranſeunte, hinc inde ſtagnante, vaſa ipſa ſanguifera nimium diſtendente, ventriculos autem & poros Cerebri præternaturaliter coarctante & comprimente, ſicque ſpirituum liberum motum debitamque ſecretionem turbante, graviter admodum læſum. *Hâc* enim *parte*, ut rectè ſcribit HIPPOCRATES *Lib. de morbo ſacro, ſapimus & intelligimus, & videmus, & audimus, & turpia & honeſta cognoſcimus. Ea ipſa & inſanimus & deliramus.* Quatenus autem hypochondriaca eſt Melancholia, eatenus tanquam minus principale ſubjectum etiam infimi ventris viſcera cum Venâ Portæ inprimis connexa, huc referenda ſunt.

§. X.

Quænam verò Cerebri pars ſpeciatim afficiatur & lædatur ſub hoc affectu, vix unquam exquiſitè indagari aut demonſtrari poterit, cum nulla ſit facultatum Animæ in eodem certa ſedes, licet plerumque phantaſiam, & aliquando etiam judicium atque memoriam, non tamen ſemper omnes has facultates ſimul affici, ex ipſis Melancholicorum actionibus adpareat. Sic in iis, qui ſaltem triſtes, meticuloſi, queruli & tetrici ſunt, ſolitudines quærunt, hominum omnium conſpectum & converſationem fugiunt & averſantur, imagi-

nationem ſaltem lædi, integro manente judicio, facilè liquet, quoniam objectum, propter quod mœrore afficiuntur, nullum adeſt, ſed tale ſaltem ſibi imaginantur, & vix unquam adducere poſſunt, inſimul verò probè intelligunt atque fatentur, vanam, inanem & imaginariam eſſe talem triſtitiam, ſæpiusque optant, ut eandem evitare aut abinde liberari queant.

§. XI.

In iis dein, qui non tantum tali inutili triſtitiâ cordisque mœrore afficiuntur, ſed etiam vagabundi ex uno loco in alterum confugiunt, ubinam perſiſtant & quieti maneant non invenientes, varia pericula metuunt horrendaque falſò ſibi præſagiunt & firmiter imaginantur, cum graviori phantaſiæ depravatione etiam conjuncta eſt judicii quædam læſio, quoniam de objectis non rectè judicant, nec accuratè illa, an vera aut falſa ſint, dignoſcunt, ſed de omnibus absque ſufficienti ratione dubitant, eaque propter etiam de intimis aliàs amicis peſſima ſuſpicantur, nec iisdem, optima licet & ſaluberrima conſilia ſuggerentibus, ullo modo auſcultant. Tandem in iis, qui præter enumerata ſymptomata non modò abſurda proferunt, ſed & ineptè agunt, actorum verò non recordantur, ſicque pari ferè paſſu cum ebriis ambulant, quod ſæpius evenire notavit HELMONTIVS in Tr. qui *Delirans idea* inſcribitur, præter dictas facultates etiam memoriam affli ctam eſſe per ſe patet.

§. XII.

Quod objectum attinet, circa quod delirant ejusmodi ægrotantes, illud admodum varium plerumque

&

& maximè admirandum eſt. Sanè tot ferè occurrunt Melancholicorum deliria, quot dormientium ſomnia; imò ſicut vinum ebriis, ita prava humorum dyſcraſia delirantibus hiſce imponit, ut vel in animi affectibus, vel in verbis aut factis ineptiant. Sic Melancholiæ jucundæ exemplum habet SALMVTHVS *Cent. II. Obſerv. 79. p. 97.* ſub quâ æger continuis muſicis concentibus ſe intereſſe putabat. Concionatorem melancholicum, putantem ſe audire vocem Dei & Angelorum, adducit BRENDELIVS *Conſil. 24. p. 87.* De melancholico, qui alvi feces novacula ſaltem exſcindi poſſe ſibi imaginabatur, & aſtu quidem curabatur, hoc verò cognito eodem delirio iterum corripiebatur, videatur CABROLIVS *Obſerv. 9. p. 97.* De fratre Dn. Sybili refert AVENZOAR *Lib. I. Tract. cap. 9.* illum ſe mortuum reputaſſe, & propterea nec locutum eſſe, nec ullo modo ſe commoviſſe. Alius apud ARETÆVM *Lib. 1. diuturn. affect. cap. 6.* ad bibendum nullo modo diſponi poterat, quoniam lutum ſe eſſe exiſtimabat eaque propter potulentorum aſſumtione diſſolvi ſe poſſe credebat. Plura ejusmodi delirantium, partim tamen ingenioſè curatorum, exempla, videantur apud *Marcell.* DONATVM *Hiſtor. medic. mirabil. Lib. II. cap. 1.* RONDELETIVM *Obſerv. 12. p. 98.* QVERCETANVM *Diætet. polyhiſtor. Sect. I. cap. 9. fol. 68. b.* DODONÆVM *gloſſ. Lib. II. Pr. c. 12. p. 209.* aliosque.

§. XIII.

Ad cauſas dum nunc progredimur, *immediatam* & *proximam* ſingularium horum deliriorum in præternaturali ſpirituum animalium diatheſi ponimus, quatenus

nempe

nempe hi ipſi ſub tardiori admodumque difficili ſanguinis craſſioris ac viſcidi tranſitu per cerebrum nimium obnubilantur, concentrantur & quaſi ligantur, ut ordinariis ſuis functionibus debitè præeſſe haud queant: Sicuti enim his bene conſtitutis Anima potiſſimum tam ad ſenſus internos perficiendos, quam ad omnes alias actiones, tanquam inſtrumento proximo, utitur; ita iis quomodocunque læſis etiam omnes iſtas actiones lædi neceſſe eſt. Ut autem ejusmodi genuina & idonea inſtrumenta conſtituant Spiritus, utique legitima eorundem temperies, ſubtilitas, tenuitas, puritas motusque ordinarius requiritur, quippe in quibus requiſitis debita illorum diſpoſitio & aptitudo ad ritè agendum potiſſimum conſiſtit. Hinc, quamdiu tali in ſtatu perſiſtunt, tam diu etiam Animæ munia laudabiliter exeqvuntur, nec ullum, tam in vitalibus, quam in moralibus, vitium perſentiſcitur; quamprimum verò vel vitio cerebri, vel humorum nimium viſcidorum atque terreſtrium, aut, ob viſcerum infimi ventris qualemcunque læſionem & obſtructionem, nimium depravatorum, ab hac ſua laudabili diatheſi deſciſcunt, iſtorum humorum impuritatem induentes, fixiores redduntur magisque obſcurantur, tunc & internis ſenſibus, inprimis autem phantaſiæ, objecta debitè repræſentando & communicando, amplius ritè inſervire haud poſſunt, unde hæc variè poſtmodum ludit, miſcens quadrata rotundis, eaque, quæ aliter ſe ſe habent, ita concipiens, ut vera putentur, licet abſurdiſſima aliàs ſint, inprimis quoniam ejusmodi phantaſmata ope judicii, itidem quadantenus jam turbati, non dijudicari & tan-

quam

quam falſa repudiari poſſunt, ſed potius hæc quoque facultas priori jam jam graviter læſæ aſſentiri cogitur.

§. XIV.

Mediata vero *proximior* cauſa, quæ Spiritibus malam hanc diatheſin & obnubilationem conciliat, in humoribus, præprimis autem ſanguine, tam quoad craſin, quam quoad mixtionem ſuam nimium corrupto & inquinato, atque vel immediate in cerebro ipſo, vel mediate in toto corpore, aut aliquibus ejus partibus, Liene inprimis, Hepate, vaſisque meſaraicis copioſius ſtagnante, tardius progrediente, ſicque heterogeneas particulas acidas, auſteras, terreſtres magis accumulante, quærenda erit. Tales enim impuritates, cum coctionem primam & ſecundam graviter turbent, inprimis verò inſimul lympham laudabilem, utpote ſpirituum vehiculum, magis inſpiſſent, coagulent vappidamque reddant, utique & ſecretionem eorum impediunt, & jam elaboratorum activitatem ac mobilitatem nimium quantum lædunt; cumque inſuper etiam ſerum omnium humorum tincturas facile imbibat, illosque diverſimode alteret, ita & ſub hoc ſtatu ſalia iſta acida, auſtera & pontica in ſero fluctuantia, reliquas oleoſas, balſamicas & ſulphureas volatiles particulas ſanguinis obtundunt & deprimunt, ſicque haud mirum eſt, quod fixiores & ſpiſſiores ita redditi humores in vaſis & organis colatoriis ſtagnent, tardius progrediantur, craſſiores ſuas particulas deponant ipſaque hæc viſcera tandem plenarie obſtruant, & ita, turbato ſanguinis circulo ſpirituumque motu, mens quoque ipſa magis vel minus turbetur & depravetur.

§. XV.

Cauſas denique *remotiores* & *occaſionales* omnia illa conſtituunt, quæ & ſanguinem aliosque humores in craſi ſua lædere, & naturalem ſpirituum diatheſin alterare ac turbare poſſunt. Pertinent huc ex *rebus naturalibus temperamentum* ita dictum frigidum & ſiccum ſeu *melancholicum*, in quo plerumque & caloris nativi debilitas, & lymphæ blandæ defectus ſtatusque ſeri inquinatus ad humorum ſpiſſitudinem quam maximè diſponens occurrit; item *ætas ſenilis*, ubi tam ſanguis, quam lympha, ob deficientem calorem & tonum viſcerum â blandâ & ſuavi ſuâ indole remittunt, minusque ſibi invicem proportionata tandem morbificam dyſcraſiam concipiunt, minimè tamen virilis excluſa eſt; porro *diſpoſitio hæreditaria*, quando ſemen parentum prolificum male jam jam conſtitutum eſt, ſicque prima talis morbi rudimenta in tenelli embryonis ſanguine ponuntur, quæ conceptam maculam dein ſucceſſu temporis ſpiritibus impertiunt; ac tandem *ſexus*, quem quidem utrumque malo huic expoſitum deprehendimus, magis tamen adhuc fœmininum, quam virilem, ob ſenſibilitatem majorem in animi pathematibus & fortioribus impreſſionibus, majorem proclivitatem ad vitæ genus ſedentarium, variasque menſtrui fluxus turbas.

§. XVI.

Ex *non naturalibus* rebus primò huc referri meretur *Aëris*, & quidem inprimis regionis ac temporis anni nimium frigida & craſſa conſtitutio, aut frequentiores etiam admodumque ſubitaneæ mutationes: Frigore

gore enim poros cutis occludit & conſtringit, humorumque neceſſarias ſecretiones & depurationes impedit, ut hinc eorundem ſpiſſitudo & dyſcraſia augeatur; tepore vero adventitio illos reſolvit, particulas Θino-🜍eas antea coacervatas magis evolvit, ſicque naturalem illius ac ſpirituum craſin motumque alterat; unde etiam eſt, quod HIPPOCRATES *Sect. III. Aphor. 20. & 22.* verno & autumnali tempore deliria frequentiora eſſe referat. Similem noxam inferunt etiam *cibi* & *potus*, tam quantitate, quam qualitate & utendi modo peccantes, illi nempe qui difficilioris concoctionis & crudioris ſucci ſunt, ut leguminoſa, acida, ſalita, fumo indurata & exſiccata, &c. ex potulentorum claſſe ſunt ea, quæ vel nimium tenuia, acida, minus defæcata, inſimulque juſto copioſius aſſumta ſunt, ſicque tonum viſcerum debilitant & laudabiles balſamicas, ꝏſas atque activas 🜍eas ſanguinis particulas ſupprimunt; aut dum orgaſtica, halituoſâ 🜍eâ, acri, acidâ & vaporoſâ qualitate ſpiritus animales nimium turbant, obnubilant & debilitant, huc etiam ſpectat deficiens potus, dum non in ſufficienti quantitate potulenta temperata aſſumuntur.

§. XVII.

Porro nocet quoque *motus* immoderatus & intempeſtivus, viſcera debilitando, chylum crudum in vaſa meſaraica propellendo, humorum depurationem turbando & inordinatam ſpirituum agitationem concitando; magis vero pernicioſa eſt quies nimia, ſub ſedentario vitæ genere minus aſſueto, quod fit in mutatione vitæ generis laborioſi in otioſum, utpote ſub ea

humores inſpiſſantur, ad ſtagnationes, infarctus & obſtructiones viſcerum apti redduntur, ſicque innumeræ morborum cauſæ introducuntur, quod etiam de exceſſibus in *ſomno* & *vigiliis* pertimeſcendum eſt. *Retenta* vero *etiam* pariter huc referri merentur, quatenus nimirum heterogeneæ & inutiles impuritates tam propriâ ſuâ, quam organorum culpâ non eliminantur, ſicque craſin ſanguinis alterant, aut abundantes humores magis accumulantur, prout in obſtructionibus menſium, hæmorrhoidum, aut omiſſis V. Snibus aliàs adſuetis, nec non diuturniori & intempeſtiva ſeminis retentione, contingit, de qua vid. GALENVS *3. de loc. affect. 5. & Auctor Lib. de morb. mulier. & virgin.* Omnium autem maximam culpam hic habent *animi pathemata*, quæ inprimis determinatum delirium, quod circa certum ſaltem objectum verſatur, facile excitant, ſi immoderatiora & vehementiora fuerint, ut ſunt amor effrenis, terror, timor & pudor vehemens, mœror & triſtitia, originem maximè â calamitatibus inopinatò & catervatim irruentibus, animumque non bene præparatum invenientibus, originem trahentes.

§. XVIII.

Ex *præternaturalium rerum* claſſe primatum hic tenet *affectus hypochondriacus*, ex quo, ceu ex illa Pandoræ pyxide, mille mala atque ſymptomata prodire ſolent; & qui tantam inprimis ad inducendam Melancholiam habet efficaciam, ut vix unquam tale occurrat, quod non agnoſcat malam hypochondriacorum viſcerum conſtitutionem pro remotiori ſua cauſa: Hinc etiam *febres* tam tertianæ, quam ſpeciatim quartanæ, rebelles

les & contumaces ſimilesque chronici affectus, humorum laudabilem mixtionem gravius turbantes, viſcerumque naturalem conſtitutionem lædentes, huc referri debent, dum nempe tales morbi hypochondriacos faciè vel inveniunt, vel etiam tales reddunt, ſub ſiniſtra potiſſimum curatione. De reliquis, inprimis capitis ſonticis affectibus, aliquando itidem melancholiam poſt ſe trahentibus, videlicet Mania, Epilepſia, Phrenitide, Contuſionibus, Vulneribus, Philtris, &c. vix opus erit, ut quædam adhuc moneantur, cum partim ad noſtrum non pertineant ſcopum, partim etiam temporis & chartæ anguſtia id non admittat.

§. XIX.

Ratione *Prognoſeos* notum jam eſt, quod GALENUS *Comment in Aphor. 52. Sect. VI.* nullam deſipientiam tutam eſſe dicat, quod meritò utique etiam de melancholica hac valere debet, utpote quam ideo non omni periculo vacare judicamus, quoniam læſio in parte aliqua nobiliori adeſt, ejusque actiones turbatæ ſunt, inſuperque etiam viſcerum infimi ventris præternaturalis conſtitutio concurrit; vix tamen unquam eandem ſimpliciter lethalem eſſe judicamus, niſi ægri vel ſibi ipſis manus violentas inferant, aut ob extremum ciborum faſtidium fame pereant, vel Apoplexia aut Epilepſia, ut quandoque fieri ſolet, eidem ſuperveniat. Aliàs vero, ſi adhuc recens fuerit, ſi juniora magis, quam adultiora ſubjecta, occupaverit, ſi potius ſympathica, quam idiopathica aut hæreditaria exſtiterit, feliciorem, benedicente Deo & ſedulâ Medici curâ, non rarò ſortiri ſolet exitum; de reliquo vero requiritur patientia

 Medici,

Medici, ægrotantis & adſtantium ob ſtatum chronicum.

§. XX.

Explicato ſic gravioris hujus morbi genio quoad potiores ejus circumſtantias, ad *curationem* tandem progredimur, quæ ſequentibus potiſſimum inniti debet indicationibus: I) *Ut abundans humorum quantitas imminuatur, nimiaque ipſorum dyſcraſia & ſpiſſitudo corrigatur;* II.) *Viſcera infarcta & obſtructa reſerentur debitusque humorum tranſitus per ea reſtituatur;* III.) *Partium iſtarum affectarum naturalis tonus reſtauretur, his enim adeptis ſuum Diatheſis affulget naturalis.*

§. XXI.

Prima indicatio partim ventilationem ſanguinis per V. Snem, partim etiam remedia naturales ſe- & excretiones promoventia requirit. Antequam vero ea omnia in uſum vocantur, convenit prius ut cruditates vitioſæ, glutinoſæ, acidæ, circa primas vias collectæ, abſtergantur & removeantur, quod tam incidentibus, diluentibus & ſalinis digeſtivis, quam laxantibus & purgantibus optime impetratur, ſi inprimis ea omnia in liquida magis, quam ſiccâ formâ ordinantur. Solent etiam Practicorum quidam, dum ejusmodi melancholicos aliquando poſt vomitus ſpontaneos melius ſe habere deprehendunt, remedia emetica tanquam maximè neceſſaria commendare, hisque uſurpatis & per vices repetitis totam curam, tam præſervativam, quam curativam feliciſſime peragi poſſe ſibi aliisque perſuadent; aſt, niſi ſufficientia ſaburræ in ventriculo ſtabulantis præſtò fuerint indicia, ægerque aliàs facile

ad

ad vomitum inclinaverit, vix unquam adeò eximium abinde ſperare licebit emolumentum.

§. XXII.

Præmiſſis illis ad V. Snem progrediendum erit, quæ pro ratione circumſtantiarum tam in brachio, quam in pede inſtitui poterit, ita tamen, ut ubique ſatis ampla fiat inciſio, proportionata emittatur ſanguinis quantitas, ſique plethora urgens & turgens fuerit, etiam aliquoties repetatur, cavendo tamen ab omni exceſſu: Licet enim PLATERVS *Tom. I. cap. 3. p. 122.* referat, ſe longa obſervatione cognoviſſe, innumeros ejusmodi melancholicos à Chirurgis quibusdam vel aliis, qui ex profeſſo hiſce morbis ſanandis operam dabant, curatos fuiſſe, utpote qui vigeſies, ſexageſies quoque venas tundendo inſanos penitus, vel melancholicos ita reſtituerunt, ut poſtea incolumes adhuc longam vitam vixerint, minimè tamen ubique ſimilem inde expectare licebit effectum: Ad corrigendam dein vitiatam ſanguinis craſin optime conducunt tam ſimplicia reſolventia, attenuantia & abſtergentia, quam per epicraſin laxantia Infuſa, imo & diuretica ac blande diaphoretica Decocta, ex aperientibus; hepaticis, ſpleneticis aliisque appropriatis paranda, ac interpoſitis potulentis tenuioribus, conjunctoque quantum fieri poteſt debito corporis motu, ſedulò continuanda. Pertinent autem huc e. g. Radices ita dictæ aperientes, nec non Pimpin. alb. Leviſt. Carlin. Polypod. Helleb. nig. HB. Epithym. Scolopendr. Marrub. albi, Chamædr. Cochlear. Fumar. Adianth. alb. Cent. min. Meliſſ. Semina, Aniſ. Fœnic. Naſturt. Cort. Tamariſc. Rad. Cappar. &c. præter jam tacta uſum etiam habent ♁ialia, ℨℨina, & ex ☽a parata medicamenta, v. g. TRa ♁ii acris & ♀iſata, ☿. TRa & Magiſter. ☽næ, Elixir. cephal. cum ♌tu ⊖is ★ci paratum, ♌tus Cerebri hum. Sangu. cervin. TRa Corall. temperat. & volat. cum ♌tu C. C. TRa Lap. Lazuli, Smaragd. &c. quæ omnia etiam ad impetrandam *ſecundam indicationem* optime conducunt, eaque propter ſedulò continuanda ſunt.

§. XXIII.

§. XXIII.

Ut autem *tertiæ* tandem ſatisfiat *indicationi*, ſi inprimis impetus affectus hujus quadantenus remiſerit, tam abſorbentia, quam aromatica & ſtomachica, maxime autem ♂tialia in uſum vocanda erunt, v. g. Corall. rub. ppt. Oc. ♋. ppt. Mat. perl. Chryſtall. mont. ♁ium diaph. ♂t. 🜖lum ♂tis, Croc. ♂t. aperit. Zwelff. Magiſt. ♀i 🜖lat. ☽re, TRa 🜖li ♂tis Ludov. aut cydoniat. pomat. hellebor. Eſſ. Abſynth. comp. arom. & carmin. Wed. Trag. ſtomach. pulv. ſtomach. Birckm. & Quercet. &c. ſubjungendo inſuper conveniens diætæ regimen, ſupra allegatis cauſis remotioribus ſpeciatim oppoſitum, & hiſce potiſſimum verſibus in Schola Salernitana præſcriptum:

Utere convivis, non triſtibus, utere amicis,
Quos nugæ & riſus & joca ſalſa juvant.
Tange lyram digitis, animi dolor omnis abibit,
Dulciſonum reficit triſtia corda melos.

TANTVM.